

1011  
P. 6. 149

Theol.

N. B. 3.

Theologie

~~P. 262~~

O. vi. 245. b. 518.



CHRISTOPHORI MATTHÆI  
PFAFFII,

S. Theol. Doct. & Prof. Ordin. Illustris Stip. Theol. hæctenus  
Superattendentis & Ecclesiæ Tubingensis Decani,  
nunc PRÆPOSITI,  
Academiæ Tubingensis hoc ipso tempore  
RECTORIS

ORATIO INAUGURALIS

DE

UNIVERSITATIBUS  
SCHOLASTICIS  
EMENDANDIS

ET

PÆDANTISMO LITERARIO  
EX IISDEM ELIMINANDO

*Tubingæ in aulâ Novâ*

die XII. Augusti hoc ipso æræ Christianæ anno MDCCXX.  
coram Senatu & totâ gente academicâ publicè recitata;  
cùm Professionem Theologiæ primariam

OFFICIUMQUE CANCELLARII

solemniter feliciterque Is auspicaretur.

---

TUBINGÆ,  
literis SIGMUNDINIS.

Univerſitatibus Scholaſticis  
quibuſvis,

*maximè verò*

**ALMÆ EBERHARDINÆ  
NOSTRÆ,**

quam ante omnes alias candidiſſimo peſtore  
plurimùm deoſculamur atque peramamus,

**Oratio hæc noſtra**

dicata atque conſecrata  
eſto!





## AUTOR

L. S.

**V**ix pedem de cathedra tuleram, vix orationem, quam hîc conspicias, ex ore meo labi passus eram, cum ecce advolant Viri præstantissimi & egregii publici cupidissimi, rogantque plurimum, ut, quæ dixerim, IN PERPETUAM REI MEMORIAM certumque literarum incrementum publicamque & communem ædificationem literis perennaturis exscribenda curarem. Jam, licet miratus fuerim, quî contigerit, ut oratio hæc, quæ inter tot alios labores, quæis officium Rectorale, quo jam fungor, obruitur, intra brevissimum tempus exarata fuit & ex calamo currente in chartam festinabunda processit, adplausum mereri publicum potuerit, maxime, cum in ipso actu varia, antea haud scripta, addiderim, non tamen potui, quin vel tandem honestissi-

A 2

nestissi-



nestissimo isti hominum doctissimorum desiderio  
 assurgerem. Nōrunt, qui me audiverunt loquen-  
 temque conspexerunt, me ex candidissimo & tripu-  
 diante pectore, solo boni publici promovendi ardo-  
 re animatum totum, procul omni affectu malo,  
 qui profectō animi mei altam pacem haud turbat,  
 procul omni æstu, qui mentem meam, longè ut-  
 pote nobiliorem, haud agitat, promptissimo ore,  
 labiis in lætitiā effusis, omnia prolocutum esse.  
 Etenim non patiebatur candor ille meus, quo flo-  
 reo, ut veritatem, licet odium illa pariat animos-  
 que irritet, eā occasione, ubi vel maximè dicenda  
 & in lucem publicam effundenda erat, tacerem.  
 Jam enim hoc Cancellarii præcipuum munus est, ut  
 Universitati illi Scholasticæ, cui præest, florem ad-  
 fundat, ut vitia, queis illa se immersam conspicit  
 & queis illa languet & laborat, vividis coloribus de-  
 picta in exilium agat medelamque rebus, quam po-  
 test, adferat, eaque, quā par est, animi mansue-  
 tudine dictionisque amœnitate animique sincerita-  
 te errantes in viam revocet atque emendet.  
 Faxit modò DEUS O. M. ut, qui culpæ consci-  
 entiā, dum hæc ipsa perlegunt & perlustrant, ve-  
 xantur, tam salutaribus, quæ heic cumulo, præ-  
 ceptis moniti sapere discant.

RECTOR



RECTOR UNIVERSITATIS  
CHRISTOPH. MATTHÆUS  
PFAFFIUS

ET  
SENATUS ACADEMICUS TUBINGENSIS

L. S.

**E**Æ sunt rerum humanarum vicissitudines, tam varia est earundem fors, ut crebris subinde mutationibus expositas eas aliamque subito formam faciemque sibi induere videamus. Quis ante hos quinque annos credidisset, totidem Theologos è medio nostro atque è vivis excessuros esse? Quis somniasset, intra triennium totam Facultatem Theologicam immutatum aliterque inflexum novisque Professoribus ornatum iri? Scilicet abiit primum obiitque ferè ante quinquennium FROMMANNUS, secutus est ante triennium KLEMMIUS, cujus citato gressu vestigia legit HOCHSTETTERUS, hoc ipso verò anno beatus Parens noster, at quàm charum, quàm dulcè nobis nomen! & Vir summus, JO. WOLFFG. JÆGERUS, Eberhardinæ hujus tùm Cancellarius decessere. Itaque ergò contingit, ut, qui vix per triennium Senatorum & Pro-

A 3

fesso-




fessorum Academicorum ordini adscriptos nos vi-  
 demus, jam naturali successione divinoque mune-  
 re ad summum in Academia hâc honorum culmen  
 promotos nos conspiciamus. Et verò vix vivis  
 excefferat beatus noster JÆGERUS, ubi, rogante  
 ita Senatu Academico, SERENISSIMUS PA-  
 TRIÆ PATER, literis clementissimis ad nos mis-  
 sis juberet, ut vices Cancellarii, donec aliter dispo-  
 neretur, nos gereremus. Nec longa mora rebus  
 interposita est vacuumque diu relictum ipsum Can-  
 cellarii munus, sed (qui summus est Serenissimi  
 Principis nostri, quo Academiam hanc nostram  
 complectitur, favor,) mox die VI. mensis Junii  
 nobis Ludoviciburgi tum versantibus significatum,  
 Spartam hanc in scholâ nostrâ præcipuam nobis de-  
 stinatum affusamque esse. Quo factò & missus ad  
 nos, qui voluntatem Serenissimi Principis nobis  
 patefaceret, Vir Magnificus, JO. OSIANDER,  
 Illustris Consistorii Director Gravissimus, collectis  
 Patrum Academicorum unanimi applausu mentem  
 clementissimi Nutritii nostri exosculantium votis,  
 nos Senatui Academico novâ istâ Cancellarii & Præ-  
 positi dignitate ornatos nuperrimè præsentavit.  
 Quod cum ita sit, ipsa muneris hujus amplissimi,  
 quod nobis concreditum est, autoritas poscit, ut  
 inau-



inaugurali oratione nos hâc Spartâ auctos vobis ,  
*Academici* , sistamus Deumque solemnibus preci-  
 bus oremus , ut scholæ huic , ut societati huic lite-  
 rariæ benè velit , suâque benedictione & gratiâ illam  
 plurimum adaugeat atque amplificet . Et verò in-  
 signe Dei O. M. quo nos , qui indignissimi tantâ  
 gratiâ sumus , beat , munus esse cognoscimus , quòd  
 nobis , qui ante triennium tanto languore , mortem  
 proximam minitante , correpti eramus , jam in isto ,  
 in quo versamur , ætatis & valetudinis flore Spartam  
 hanc , amplam illam ac præcipuam adire contingat .  
 Et sanè inter Cancellarios , qui inde ab initio Eber-  
 hardinam hanc ornavere , ea ætate ad hanc dignita-  
 tem pervenit nemo , solo excepto JACOBO AN-  
 DRÆÆ , Viro celeberrimo famâque clarissimo , quem  
 eodem ferè ætatis anno ad culmen hoc academicum  
 adscendisse novimus . Cum quo Viro præstantissi-  
 mo , etsi ingenii , eruditionis & meritorum gloria  
 certare haud valeamus , id tamen commune nobis  
 est , quòd eodem , forsan & majori concordia Chri-  
 stianæ , cujus formula ipso obstetricante in lucem  
 prodiit & autoritatem summam nacta est , studio &  
 nos floreamus paceque ecclesiasticâ , sed illâ veritate  
 fidei totâ perfusâ & tinctâ , nihil nobis prius , nihil  
 antiquius sit . Jam & istud singulare in hoc nostro  
 mune-





munere, quod jamjam adgredimur, est, quod peculiari quodam rerum casu, qui inde à fundatâ Universitate haud accidit, fit, ut Rectoratûs Academici atque Cancellariatûs dignitas in unâ eâdemque personâ nostrâ ad tempus confluat. Faxit modò DEUS O. M. ut gratiâ Ipsius præstantissimâ maçti hoc, quod jam adgredimur, munus ita geramus, ita administremus, ut, divinâ benediçtione largissimè nobis adfluente, nostro labore Ecclesia haud parum ædificetur, res literaria augeatur & ornetur & Academiæ salus honosque plurimùm crescat atque amplificetur. Vestrum est, *Academici*, pia hîc coram Domino DEO nostro vota fundere, ut nobis in JESU CHRISTO, Salvatore nostro Optimo Maximo propitius sit, ut, deletis peccatis nostris, amplissimo amore suo & gratiâ nos complectatur, ut ædificationem luculentissimam laboribus nostris adspergat, ut divinâ nos luce prudentiaque cœlesti ornet impleatque, ut constantiam & fortitudinem animi contra insultus hominum malè sapientium & malorum planè insignem nobis largiatur, ut animum nostrum ab omni affectu pravo præservatum suâ pace, quæ omnem mentem superat, cœlesti illâ & divinissimâ, beet. Jam verò & in votorum nostrorum precumque  
partem



partem venietis , ubi orationem nostram inaugu-  
 ralem , cras hora nona in Aula nova recitandam,  
 quæ de *Universitatibus scholasticis emendandis*  
 & *padantismo literario ex iisdem eliminando*  
 ager , prompti alacresque audiveritis. Agite igi-  
 tur & piam rebus mentem affectumque faciles-  
 que aures adspergite novumque Cancellarium ,  
 cui vestra salus , cui vestra ædificatio tantoperè  
 cordi est , ea , qua par est , mentium veneratio-  
 ne , eo , quo decet , candidiore animorum ve-  
 strorum adplausu læti excipite. Id quod publico  
 nomine perscripsimus & sigillo Rectorali hanc in  
 rem munivimus Tubingæ , Dominica XI. post  
 festum Trinitatis diem , hoc ipso ææ  
 Christianæ anno MDCCXX.



B

ORATIO.

- 3. 6.



## ORATIO.

**C**LEMENTISSIME DEUS,  
Pater Domini nostri Jesu  
Christi, qui Ecclesiam tu-  
am, qui gregem tuum Doctorum  
& Episcoporum, quos Spiritu tuo  
ungis, ministerio cogis & ornas,  
TE jam rogamus supplices, ut no-  
bis, qui tuam opem nunc implo-  
ramus benedictionemque tuam  
gratiamque deprecemur, propi-  
tius adsis. Novimus, te filiis tuis  
promisisse, te semper eos, ubi Spi-  
ritus tui sanctioris dona à TE ex-  
petunt, exauditurum esse. Ita-  
que



que ergò, ubi novum jam munus,  
 quod sentimus atque perspicimus,  
 quàm grave sit & arduum, auspi-  
 camur, TE veneramur, TE ora-  
 mus, ut lumine tuo, ut gratiâ  
 tua coelesti eâque largiore men-  
 tem nostram pectusque imbuas,  
 ut nobis, qui ad omne bonum  
 opus ob congenitam animi malè  
 constituti hebetudinem inepti su-  
 mus, virtutem divinissimam in-  
 duas, quâ macti ad voluntatem  
 tuam perficiendam spartæque  
 nobis concreditæ officia adim-  
 plenda idonei reddamur. Ad-  
 sperge benedictionem tuam eam-  
 que præstantissimam laboribus,  
 B 2 . . . . . quos





quos TE jubente exantlabimus,  
infunde menti nostræ veritatis  
tuæ divinissimæ radios, ut non  
solum ipsimet oracula tua rectè  
capiamus sed & fideliter aliis ea-  
dem instillemus atque ab omni er-  
rore & pravo præjudicio, quan-  
tum quidem mortalitas hæc, quâ  
circumvolvimur, patitur, liberi ab  
eâdem lue & alios liberare & præ-  
servare valeamus. Purga volun-  
tatem nostram à quovis affectu  
pravo tuoque illam amore tuis-  
que virtutibus cumulatè orna, ut  
conversatione nostrâ ad veram,  
quam poscis, sanctimoniam infle-  
xâ non saltem verbo sed & exem-  
plo



plo viam virtutis & sanctitatis aliis  
 monstremus. **Serva Universita-**  
**tem hanc scholasticam eamque**  
**largis gratiæ tuæ muneribus ad-**  
**auge & fac, ut præsens quoque,**  
**quam fundimus, oratio animos**  
**eorum, qui audiunt, largo ædifi-**  
**cationis fructu & foenore foecun-**  
**det. Hæc te rogamus, hæc abs**  
**TE poscimus supplices, in nomine**  
**Domini nostri Jesu Christi.**


AMEN!



B 3

VIR





*VIR PER-ILLUSTRIS AC  
GENEROSISSIME,\*  
ILLUSTRISSIMI DOMINI  
COMITES,\*\*  
ALMAE HUIUS EBERHARDINAE  
PATRES CONSCRIPTI,  
VIRI Summè Reverendi, Consultissimi, Expe-  
rientissimi, Excellentissimique,  
tuque gens academica, in spem Ecclesiæ ac Rei-  
publicæ nata,*



St ea insignis divini  
Numinis, quâ Univer-  
sitate hanc nostram  
complectitur, provi-  
dentia, insignis & Se-  
renissi-

\* Ita compellabamus DN. PHILIPPUM HENRICUM DE  
GOELNIZ, Sereniss. Wirt. Ducis Consiliarium Intimum,  
Ill. Collegii Ephorum, Supremi Dicafterii Wirtemb. Præs-  
dem & Satrapam Tubingensem.

\*\* Præsentes quippe aderant Domini FRIDERICUS GU-  
LIELMUS & VICTOR SIGISMUNDUS, Comites de  
GRÆVENIZ & DN. CAROLUS FRIDERICUS, Comes  
de PIPER.



renissimi Ducis nostri, quâ salutis-  
 scholæ hujus nunquàm non invi-  
 gilat, cura, quòd, ubi vix vivis ex-  
 cessit, qui Cancellarii munere nu-  
 per adhuc fungebatur, Vir præ-  
 stantissimus summisque ingeni-  
 dotibus eruditionisque theologi-  
 cæ laude clarissimus JO. WOLF-  
 GANGUS JÆGERUS, Sparta  
 hæc ardua & momentosa jam no-  
 vo Successore donatur. Et ve rò  
 quam vellem, in me, cui honor  
 iste, cui munus istud concreditum  
 est, invenirentur virtutes illæ, quæ  
 ad ritè peragendas officii hujus ra-  
 tiones necessariae sunt tantamque  
 spartam ornare possunt. Etenim,  
 qui



qui vix inde à triennio muneri  
Academico admotum me esse  
conspicio, qui & ob ætatem ad  
splendorem muneris hujus vix  
assurgentem nondum eam rerum  
experientiam adeptus esse videor,  
quæ ad res heic prosperè agendas  
necessaria est, ubi primum in scho-  
lâ hâc locum jam occupo, libenter  
fateor, me, qui meo me pede metiri  
soleo, qui & benè discerno, valeant  
quid humeri, quid ferre recusent,  
haud vano metu & timore heic  
percelli atque perfundi. Sed ita  
quidem DEO, rerum nostrarum  
sapientissimo Arbitro, qui in infir-  
mo vase misericordiæ suæ gratiæ-  
que



que præstantiam subinde manife-  
 stat, placuit. Quis credidisset,  
*Auditores,* me, ubi primùm cathe-  
 dram hancce ante tres annos con-  
 scendi tremulâque ob morbum  
 gravissimum languoremque, qui  
 me infestaverat atque invaserat,  
 voce ad vos tum differui, tam diu  
 rebus humanis superfuturum fu-  
 neraque Collegarum meorum,  
 quorum numero tunc adscriptus  
 fui, comitaturum esse? Jam & in  
 eo vel maximè providentia divi-  
 nior, quâ advigilante rebus meis  
 iste flos succrevit, largissima elu-  
 xit, quòd tanta laboribus meis aca-  
 demicis benedictio hactenus affusa  
 C fuit,



fuit, ut, ubi vix unum vel alterum  
foetum literarium in lucem emisi  
remque ecclesiasticam & litera-  
riam pro infantia meâ modulo or-  
nare, ubi vix veritatem sacram tan-  
tis per illustrare regnumque tene-  
brarum & præjudiciorum theolo-  
gicorum eo, quo potui, ardore, eâ,  
quâ potui, animi fortitudine ad-  
gredi cœpi, cum primùm cogita-  
rent homines, fore, ut magnus ad-  
versariorum imber mihi illabere-  
tur meamque in scribendâ veritate  
libertatem coërceret & domaret,  
communi sapientū applausu tum  
in Germaniâ, tum extra Germani-  
am, quæ ad veritatem propagan-  
dam



dam mentesq; ab errorum lue liberandas scripsi, excepta fuerint. Et verò hæc ipsa non eam ob rem edidit, ut gloriola quædam inde in me redundet, qui ante omnes alios optimè capio, indignissimum me esse peccatorem, in quem tot & tanta beneficia divina effluant. Non nobis, non nobis, sed nomini tuo, **O BENIGNISSIME DEUS,** gloria omnis debetur, qui inde ab unguiculis providentiæ tuæ præstantioris & planè singularis documenta in me exstare voluisti, qui divinâ luce mentem meam, ab erroribus mundi avulsam, imbuiisti, qui per iter literarium, tam longum illud atque difficile, ad

C 2

munus



munus Theologicum me sensim  
sensimque præparasti, qui eum  
mihi animum, eam mentem do-  
nâsti, cui veritatis & virtutis stu-  
dio nihil carius, nihil præstantius  
est, qui, ubi in vitæ meæ decursu in  
præcipitia pro ingenii currentis ar-  
dore lapsurus eram, impedimen-  
tis injectis, pedem illicò retraxisti  
& in genuinam semitam me subin-  
de nolentem revocâsti, qui men-  
tis, qui corporis vires cottidiè jam  
adauges, qui denique luminis Tui  
atque virtutis Tuæ coelestis bene-  
ficio linguam meam, calamum  
meum ita animas, ita instruis, ut  
largior inde ædificationis fons, qui  
lati-



latifundia Ecclesiæ, qui mentes hominum irriget, erumpat. Tibi, inquam, O BENIGNISSIME PATER, omnis gloria debetur. Tu sustentasti hactenus servum tuum atque adhuc sustentas & porrò sustentabis, tu Spiritus tui sanctioris, quem præsentissimum mihi esse jugiterque mihi adstare vis, digito & scepro mentem meam dirigis, tu gratiæ tuæ præstantissimæ influxu & sensu me imbuis, in tuis manibus fors mea jacet, tu laboribus, tu studiis meis & porrò aderis, tu ab incurfibus malorum liberum me & tutum præstabis, saltem calamitates, istas, quæ me

C 3

ex-



exspectant & non exspectare non  
 possunt, in bonum meum atque  
 egregium meum vertes, tu, quic-  
 quid in pectore meo vani atque  
 impuri est, per internam spiritus  
 tui sanctioris castigationem adures,  
 tu præstantissimo sanctimonix flo-  
 re animum meum perfundes, tu  
 denique eam prudentiam mihi co-  
 piosam luculentamque largiere,  
 quæ ad ritè obeundum munus,  
 quod tuo nutu mihi imponitur,  
 aptum me & idoneum facere inq;  
 egregium publicum scholæ hujus  
 literariæ evalescere possit. Hisce  
 precibus, *Auditores Optimi*, ubi spar-  
 tam meam adgredior sinceramq;  
 rebus



rebus mentem adfundo, non pos-  
 sum non de benedictione divinâ  
 esse longè certissimus atque oppi-  
 dō securus. Non verò est, quòd  
 munus meum sine verbis ad vos  
 dictis & oratione, quâ benevolen-  
 tiam vestram aucuper mentemq;  
 meam vobis luculentiùs exponam,  
 jam adgrediar. Dicam autem de  
 argumento congruo & quod vel  
 maximè rebus meis novæque spar-  
 tæ convenit, nempe *de Universitati-*  
*bus scholasticis emendandis & padantissimo lite-*  
*rario ex iisdem eliminando.* Favete mo-  
 dō auribus & attentione vestrà,  
*Auditores,* novumque Cancellarium  
 de argumento præstantissimo  
 verba facturum benevolo  
 jam



jam mentis adfectu excipite atque comitamini.

De Universitatibus scholasticis emendandis verba facturis ante omnia id incumbit, *Auditores*, ut morbos, in quibus istæ jam jacent, ut defectus, quibus laborant, brevi stylo edisseramus atque evisceremus. Scilicet, quæ officinæ sapientiæ, quæ officinæ virtutis esse debebant, ab hâc dignitate suâ plurimum utique abire conspiciuntur. Si enim in rem præsentem descendamus, si Universitatum statum hodiernum rectè ponderemus atque contemplemur, facillè perspiciemus, & insignem morum  
cor-



corruptionem & pædantismum li-  
 terarium in iisdem utramque ferè  
 paginam facere. Et verò, quod  
 prius attinet, nemo est, qui rem,  
 ipsâ proh dolor! experientiâ teste  
 satis conspicuam, negare aufit. Vi-  
 demus, videmus gentem academi-  
 cam ubique in omne genus licen-  
 tiæ atque vitiorum effusam, vide-  
 mus & deploramus præjudicia illa  
 practica, quæ mentes hominum  
 occupant, videmus mores à mode-  
 stia, à decoro, à genuina & nobili  
 vivendi & conversandi ratione de-  
 clinantes eamque ubique vitiis  
 consuetudinem affusam, ut, quâ  
 emendari mala huc queant, ratio

D

vix



vix pateat. Jam autem, quod impietatem ubique grassantem spectat, manifestum est, præcipuam ejus causam incredulitatem religionis-que neglectum esse. Quotusquisque enim, quæsumus, ille est, qui, ubi in Academiam migrat, religionis, quâ animus sapientis ante omnia imbuendus est, curam habeat? Quotusquisque est, qui capiat, nullos se solidos in studiis academicis profectus facturum, nisi conversationem suam veræ pietatis & sanctimoniam ardore diluat? Tanta est, quæ hominum mentes heic occupat, spiritualis acedia, tanta, quæ animos pervertit, incredulitas, ut non solum



lùm veritates divinæ flocci pendantur & naso adunco a perversis ingeniis suspendantur, sed & cultus publicus ipsemet langueat, modestiaque hic nulla, nulla sacrorum veneratio, nullum æstimium conspiciatur. Is demùm ingeniosus, is virtuosus censetur, qui contra veritates divinas dubia movere, qui eas in discrimen adducere, qui religionem pedibus quaterere & conculcare sustinet. Jam & præter incredulitatem summa rerum divinarum ignorantia apud eos, qui literis sacris datâ operâ haud incumbunt, observatur. Nemo est, qui præter ea, quæ in trivio

D 2

didi-



didicit, quæ & postea negligit,  
ad majorem scientiæ gradum  
pervenire cupiat. Ignobile, uti  
quidem malè & perperam homi-  
nes acadèmi putant, hoc studio-  
rum genus ipsisque, utpote inge-  
niis liberalibus indignum est. Ma-  
ximum verò vitium eorum, quos  
carpimus, hoc est, quod in omne  
genus libidinum & pravitatis effu-  
sam eorum conversationem vide-  
mus. Jam enim, quis est, qui non  
doleat contentiones istas pugnas-  
que academicas, tumultus istos in-  
sanos, libidinum omnis generis ef-  
frenem licentiam, vitia itidem gu-  
læ & prodigalitatem summam pas-  
sim



sim graffari? Taceo mores indecoros, taceo eam converfandi vivendique rationem, quæ ingenium plebejum & ignobile & jejunum fapit, taceo ambitionem literariam, quæ optima quoque ingenia corrumpit, taceo confuetudines fcholasticas, infulfas illas atque ridiculas, quibus tota converfatio fcetet, taceo pædantiffimum illum academicum, qui ex omnibus dictis factisque hominum malè fapientium elucet. Quæ omnia ubi in rem præfentem & in apricum jam produci- mus, non eft, quòd exiftimemus, omnes, quot quot in Academiis ftudiis operam dant, hos manes pati.

D 3

Jam



Jam enim sunt & ingenia eaque longè præstantissima virtutique dedita, quæ sua semper laus comitatur. Ast cùm numerum ea haud faciant, cùm rariores sint, qui tantam laudem mereantur, nantesque in gurgite vasto, nos quidem juxta Logicorum computum, ubi a potiori denominationem facimus, in querelas istas non diffundi non possumus. Quemadmodum verò magna in Academiis morum conspicitur corruptio, ita & in studiorum ratione, quæ initur, magni summiq; defectus observantur. Quàm pauci, quæso, sunt, *Auditores*, qui solidis principiis, quæ



quæ ad trivium scholasve inferiores pertinent, imbuti tùm demùm ad Universitates provolant. Multos profectò observes academicos homines, subinde &, quod mireris, Doctores, qui in Grammaticis cespitent atque Priscianum cædant. At verò Grammatica est superbum animal, contemptum sui per omnem ætatem vindicans. Nôrunt, qui rerum gnari sunt, eos, qui linguæ latinæ notitiam haud possident, in scientiis ne hulum quidem proficere, vitiumque primæ concoctionis in secundâ malè corrigi. Ita & cum illis comparatum est, qui ad Facultates su-

pe-



periores provolant, & nullâ philosophiæ notitiâ tincti sunt & ne quidem eâ facultate, quâ ratiocinamur, rectè uti solidasque rerum ideas sibi formare didicere sed elumbem intellectum in penetralia scientiarum superiorum inferunt. Jam in Theologiâ cum linguarum sanctiorum cognitio plurimùm valeat, cum & Philosophiæ sanioris notitia animum hic solidè præparet, deplorandum utique est, esse homines, qui illotis heic manibus tantum negotium passim adgrediantur, & ubi scientiæ diviniſſimæ præstantiſſimæque (nulla enim, fatentibus omnibus, datur  
ex-



excellentior atque præstantior,) nomen dant, thesi sacrâ per transennam saltem degustatâ, mox ad homiletica studia pergant & post illis inhient idque quod præcipuum est, *πράξις* nempe Theologiæ studium experimentale veritatumq; divinarum evolutionem à partium studio alienam scripturarumq; divinarum profundio rem explanationem negligant. Quo ipso contingere solet, ut tot homines jejuni nullâque divinâ unctiõne tincti, nullis solidis principiis sed præjudiciis saltem communibus imbuti pulpita sacra quatiant, Theologiam in meram theoriam, pra-

E

xi



xi neglectâ, vertant, & fervorem suum omnem, quo contra impietatem hominum grassari debebant, adversus eos stringant, qui à principiis, quæ ipsi imbiberunt, vel saltem tantisper abeunt, eosque in hæreticorum catalogum, quasi verò judices ipsi atque arbitri heic essent, referant. Audias hic heterodoxorum, Indifferentistarum, Syncretistarum titulis ubique Auditoria personare, audias, convitiis hifce præstantissimos quoque Viros impeti & ab iis subinde pravâ istâ nomenclatione impeti, qui, ubi, quid hæresis, quid indifferentismus, quid syncretismus sit, exponere debent,



debent, vel nihil planè vel saltem,  
 quæ jejuna admodùm atque oppi-  
 dò insulsa sunt, reponere nòrunt.  
 Non urgebo nunc, quòd ii, qui  
 Theologiæ operam dant adeòque  
 vitâ sanctiore & conversatione  
 præstantiore ab aliis omnibus di-  
 stinguere sese debebant, eadem  
 subinde cum cæteris principia pra-  
 ctica foveant vitamque academi-  
 cam liberam esse debere neque  
 hoc privilegii unquam cedendum  
 esse clamitent. Jam verò, qui cor-  
 ruptionem heic grassantem latius  
 enarratam videre gestierit, is, quæ  
*de vitiis eorum, qui sacris operantur, & de deli-*  
*rebus hic adhibendâ* scripsimus, legere &  
 de-

E 2

de-



degustare poterit. Id unicum hic monemus, & in docentibus hic defectus aliquando haud leves observari, ubi vel praxin Christianismi haud satis nec eo, quo par erat, ardore urgent vel lectiones suas & collegia non ita dispescunt & cumulant, ut certorum annorum spatio omnes Theologiae partes audiri atque pertractari possint. Certè enim insigne hoc, quod scholas theologicas vel maximè commendat, beneficium est praecipuaque virtus quaedam, si nihil in toto Theologiae ambitu sit, quod in iisdem haud doceatur atque evolvatur.

Non



Non verò est, quòd omnes Facul-  
tates jam eo, quo par est, ordine  
percurramus, cum nimium id  
tempus requireret eamque in di-  
cendo prolixitatem, quam institu-  
tum hoc nostrum, breve illud at-  
que concisum, haud fert. In studio  
Juris quid est, quæsumus, quod heic  
animum ad solida properantem  
præparat? Illois manibus, uti arbi-  
tramur, illois, inquam, manibus  
hoc, quicquid est negotii, ad-  
greditur, qui nullâ elegantiorum  
literarum, nullâ historiarum, nul-  
lâ antiquitatum veterum, ma-  
ximè Romanarum, nullâ Philoso-  
phiæ, maximè Moralis luce tinctus  
est. Jam, cum maximam eorum,



qui hoc studium tractant, partem ad hæc sacra currere videas, ubi ne primis quidem labiis ista, quæ memoramus, degusta vere, fieri subinde solet, ut nulla soliditas studio huic succrescat, ut legulejis & Rabulis omnia repleantur, ut in explicatione legum manifesti solœcismi committantur nullâ arte excusandi, ut non nisi præjudiciis Doctorum, sive à justitiâ ea deviant, sive rectè se habeant, opera detur, ut jus, quod sacrosanctum esse debebat atque inviolatum, hominum injuriâ & ignorantia prævisque, quæ fovent, principiis in injustitiam vertatur. At enim, ubi  
ipsum



ipsum Juris studium tractatur, non  
 nisi Juri Civili ferè homines incum-  
 bere videas, cæteræ Juris partes  
 contemptæ & flocci pensæ humi ja-  
 cent. Juri publico quidem indu-  
 stria subinde quædam affunditur,  
 sed historiarum campo nondum  
 peragrato, in quo qui hospes est, in  
 Jure publico discendo & imbiben-  
 do ne hilum quidem (id quod sa-  
 pientes judicant) proficiet. Jus  
 ecclesiasticum vetus, Jurispruden-  
 tia Ecclesiastica, nobilissimum il-  
 lud studium omniumque industriâ  
 dignissimum vix in unâ alterâve  
 Academia, quæ præstantissimo-  
 rum Virorum luce floret, excoli-  
 tur.



tur. Alibi, ubi nonnisi ad id, quod ad panem lucrandum & ad loculos implendos facit, at quàm prava quæso, in Jureconsulto & Professore res est avaritia, auri illa sacra & nefanda fames! alibi, inquam, ubi nonnisi ad id, quod ad panem lucrandum & ad loculos implendos facit, respicitur, studia hæc spreta & contempta situ & rubigine squalent. Quin & id observes, tanto amore Doctores sententias antiquas pudumque defensas & statutas suasque prosequi, ut nova omnia odio illicò habeant, ut naso adunco illa suspendant, ut *veteri* semper *lyra* oberrent, nec nisi



nisi ad antiquos sonos dandos tibi-  
 amque antiquam inflandam idonei  
 sint eosque qui vel tantisper ab  
 ipsis dissentiunt, nescio queis titu-  
 lis mox ornent crimenque læsæ  
 majestatis scholasticæ ipsis impin-  
 gant. Id quod subinde in hoc no-  
 stro seculo adhuc fieri mirum fue-  
 rit, ubi nova lux scientiis omnibus  
 succrescit, iique passim Viri jam in-  
 veniuntur, qui recentioribus prin-  
 cipiis adoptatis & antiquiore semi-  
 tâ relictâ negotium iis facessunt,  
 qui non nisi antiqua illa & quæ  
 jamjam obsolescunt, menti impref-  
 fere. Jam, si ad studia Philosophi-  
 ca perrexerimus, si & ad literas ,  
 F  
 quas



quas vocant, elegantiores pedem  
promoverimus, quantus, quaesumus,  
ubique rerum defectus est? Non enim  
saltem negligi elegantiores literas  
videas tanquam haud necessarias &  
quæ condimenti tantum loco sint,  
sed & ubi iis opera datur, desultoria  
saltem hæc opera est, nullâ solidæ  
cognitionis luce tincta, atque sic  
tantum comparata, ut vanam inde  
gloriolam captes, ut multa in rem  
præsentem proferas, ad quæ, qui ista  
audiunt, obstupescant & animo suo  
admirationem concipiant, ut de multis  
garras ineptus, quæ vix primis  
labiis degustasti. Ita, quantus sit  
histo.



historiæ literariæ, cui suum semper pretium ponendum est & sine quâ ad eruditionem vix via patet, neglectus, quantus abusus, alibi\* pluribus diximus. Ita, quantâ homines linguæ latinæ, quæ eruditorum est, ignorantia, quàm jejuna ipsius cognitione laborent, jam diximus & experientia teste constat. Cùm studia in Europâ reflorescerent, cùm scholasticæ quisquiliæ in exilium agi inciperent, Viri præstantissimi, qui novâ istâ luce terras Occidentales beaverunt, magno dictionis flore & elegantia libros suos perfudere. Jam inter eos,

F 2

qui

\* In prolegomenis ad historiam Theologiæ literariam nuper nostrâ operâ editam,



qui in Universitatibus docent, vix unus & alter conspicitur, qui egregii quid heic præstare valeat. Dicitio hirsuta, dicitio squalida, dicitio jejuna, dicitio mendosa, dicitio impedita & tædiosa, quæ tussim ciet, passim, suspirantibus eruditioribus, obtinet. Historiarum studium, ut jam dicere coepimus, artis criticæ, heu quàm spretæ! studium aliaque elegantiora quivis ferè negligit & spernit. Jam & si ista quoque tantisper tractemus, non eo, quo decebat, ordine, non eâ industriâ, sed cursoriâ saltem operâ, non ex fontibus, non ex lectione assiduâ monumentorum vel veterum vel  
mo-



modernorum, sed ex ore saltem  
 Doctorum nostrorum sapimus,  
 contenti, si, quæ è labiis illorum  
 labuntur, chartæ tradiderimus, li-  
 cet memoria iis imbuta haud sit.  
 Quæ ipsa dum dicimus, haud ta-  
 men diffitemur, eo nos in seculo  
 vivere, ubi in his & illis Academiis  
 major rebus flos heic subnascitur,  
 quæ & eapropter tantum applau-  
 sum tantumque studiosorum nu-  
 merum nactæ sunt, quòd Professo-  
 ribus præstantissimis, qui heic  
 plurimum excellunt famamque  
 haud vulgarem sibi conciliave-  
 re, florent. Ipsam quod Philoso-  
 phiam attinet, jejuna illa principia  
 F 3 scho-



scholastica, quæ olim orbem eruditum inquinavere, sensim sensimque è pomœriis Universitatum migrant. Pauca sunt scholæ, ubi metaphysica illa scholastica adhuc Regina scientiarum audiat. Pauca sunt Universitates literariæ, ubi Aristoteles adhuc remos ducat & utramque paginam occupet. Sapiunt jam homines & inde ab eo tempore, quo CARTESIUS, quo GROTIUS, quo PUFENDORFIUS, quo FRANCISCUS MOTHÆUS VAYERIUS, quo alii præstantissimi ex recentioribus Viri vixere, avitorum præjudiciorum compedes, quæ animi constricti



stricti erant, confringuntur. In novum tamen abusum hæc ipsa quoque libertas, quæ aurea alioquin est, cadit. Quivis enim pro ingenii capacitate in medium sua profert, novum sapientiæ systema dat, nova principia, crispa illa & alta fingit \* novisque ideis, quæ subinde valdè graciles atque jejunæ sunt nimiamque ob subtilitatem in auras diffluunt, animos, qui ad sensum communem atque ad perspicuos clarosque rerum conceptus revo-

\* Sanè & præstantissimi hujus ævi Philosophi vix ab hoc prædantissimi genere absolvi possunt. Jam verò, uti scholasticos homines ob ideas crispas & altas, quas fingunt, ne intelligantur & ut magno conatu nihil dicant, ridemus, ita haud perspicimus, quæ fiat, quod nova ista systemata, quæ novum scholasticissimum, novas tenebras rebus invehunt & intellectui nostro oneri sunt, tantoperè subinde adoremus.



revocari debebant, distrahit & perturbat. Pædantismi literarii hæc species quædam est, ex ambitione, quâ ductus quivis nomen scientiæ singularis atque incomparabilis sibi comparare gestit, oriunda. Ubi verò pædantismum literarium jam nominamus, qui omnium vitiorum academicorum mater est, quantus, quæsumus, & quam vastus nobis sese offert dicendi & differendi campus? Pertinet huc vel maximè sive docentium sive discipulorum academica ambitio, quâ eruditionis laudem nobis ferè solis propriam esse volumus, atque alios tanquam longè inferiores & tan-



tantâ doctrinâ haud præditos con-  
 temnimus, quâ in sententias ipso-  
 rum, in libros ipsorum, in lectio-  
 nes eorundem & collegia, in meri-  
 ta, in nomen, in alia, quæ habent,  
 præcipua involamus, eosdem sive  
 linguâ sive calamo adgredimur at-  
 que ubique, ubi possumus, famæ  
 ipsorum detrahimus, communique  
 contemptui & risui eos exponere ge-  
 stimus & in odia literaria, in rixas, in  
 iras academicas, heu quàm ineptas  
 ridiculasque, ubi de lanâ caprinâ &  
 de vocibus subinde disceptamus,  
 & fel literarium rebus illicò adfun-  
 dimus, labimur, nullum unquam  
 dissensum in aliis laturi, quâ vel no-

G

vita-



vitatem ubique affectamus, ut præstantioris eruditionis laudem nobis conciliemus, vel antiqua principia, ne errasse videamur, mordicus defendimus, citius mortem appetituri quàm passuri, ut menti gratissimus iste error dematur, quàm porò, qui docemus, in lectionibus, in orationibus in laudes nostras meritiorumque nostrorum insulsam deprædicationem ipsi effundimur, quàm monopolia quædam collegiorum instituimus & autoritatis nescio cuius flagello quodam auditores ad nos solos audiendos cogimus, partim ut constet, nos solos applausu universali gaudere  
lyram.



lyramque nostram solam homi-  
nibus placere, partim ut eò ma-  
jor pecuniæ vis, quam aliis in-  
videmus, in oculos nostros con-  
fluat, partim ut non nisi nostris  
principiis, egregiis scilicet illis!  
gens academica imbuatur. Ac-  
cedit denique his omnibus super-  
bia quædam literaria, quâ nescio  
quam præcipuam venerationem  
propter eruditionem nostram ab  
hominibus, illustrioribus quo-  
que & qui suâ etiam dignita-  
te florent, exposcimus, & ubi  
quidem isti desiderii nostris non  
adhinniunt, torvum videmus &  
hirquis transversa intuemur,  
G 2
ubi



ubi nescio quæ summa & præcipua  
 m e rita, quæ nobis competant, so-  
 m niamus atque etiam gressu & in-  
 cessu nostro aliisque gestibus, quos  
 fa miliares nobis reddimus, ma-  
 gnum quid adfectamus. At ve-  
 reor, ne nimium tangam ulcera &  
 diducam. Progrediendum tamen  
 in instituto est & reliquæ pædanti-  
 smi academici species percurren-  
 dæ. Vexat & docentes subinde  
 avaritia, quâ ducti studiosorum lo-  
 culos miris artibus magnoque in-  
 genio emungunt. Hinc, missis sub-  
 inde in his vel illis Universitatibus  
 scholasticis & neglectis lectionibus  
 publicis, utpote quas nemo, pretio  
 dato,



dato, frequentat, collegiis privatis habendis saltem opera datur\* magnamque pretium (at verò hoc ipsum homines à frequentandâ ejusmodi Universitate absterret) exigitur, ut pecuniæ copia adfluat, hinc & gulæ studiosorum lasciviæque aliisque vitiis, maximè rusticitati connivendo indulgetur, ne, si frena hic ipsis injiciantur, exardescant & parciores rebus manum adferant. Non dicam nunc de gradibus academicis, quos indi-

G 3 gnis

\* Sunt verò & Universitates, Anglicanæ nempe illæ, ubi nullæ ferè lectiones, nulla collegia privata habentur. Estimant quippe Angli, collegiis hisce homines saltem studiosos opus habere, qui propriâ industriâ proficere nequeant & quibus pulmentum in os ingerendum sit. Vide introduct. nostram in hist. Theol. liter. p. 33. 34. Sed hic quidem aliam nos viam inimus.



gnis passim in Universitatibus conferri notorium est, ita ut in proverbium res dudum abierit, quod Doctoribus academicis avaritiam nefandam ingenuisque hominibus indignam inculto stylo exprobrat. In genere id maximè curatur, quod de pane lucrando est, cætera ridentur. In disputationibus publicis id vitii observatur, quòd non nisi vanis & ineptis altercationibus ut plurimum tempus, quod præstantiori rerum disquisitioni impendi debebat, teritur, quòd summa hic in disputantibus pertinacia & rusticitas regnat, ubi si & centies convicti de



de errore sunt, illum fateri tamen nolunt, ubi & verbis durissimis subinde res agitur, quòd methodus syllogistica heic, etiam ubi id opus non est, adhibetur, quòd ad se invicem aliis prostituendos disputantes misero errore concurrunt, quòd verò id non pertinet, quando, qui malè disputant & ignorantiaè conscientiaè vexantur, ab iis, qui auctoritate pollent, ad incitas rediguntur, ut alii his exemplis moniti sapiant & ad eruditionis solidioris fastigium cathedrâ istâ superiore dignum magnâ industriâ adsurgant, quòd levi brachio res cæque vulgares heic enarrantur nullaque tra-



tractationi eruditio aut elegantia  
 adspargitur, aut ejusmodi argu-  
 menta eviscerantur, quæ magis  
 curiosa quàm utilia sunt atque ad  
 emendationem five *Scapias* five *πράξεις*  
 nihil prorsus conferunt. In lectio-  
 nibus five publicis five privatis  
 contingere subinde solet, ut non  
 nisi rerum vulgarium explicatio-  
 ni vacemus, ut sine cognitione so-  
 lidâ, quicquid in buccam labitur,  
 proponamus, ut amphorâ institui  
 cceptâ sæpius urceum exire jubea-  
 mus, ut non nisi ex scriptis paginis  
 nostra, quæ & sæpius haud nostra  
 sunt sed plagii literarii beneficio ab  
 aliis hausta, proponamus, & agge-  
 re



re nescio quo circumsepti conspe-  
ctui auditorum capropter nos sub-  
ducamus & ex antro quasi nostra  
proloquamur, ut magis ad ea, quæ  
curiosa, quæ elegantia, quàm quæ  
solida sunt, respiciamus, ut inani-  
bus digressionibus, ridiculis recen-  
sionibus, scandalosis & acerbis re-  
futationibus operam demus, ut di-  
ctationibus ferè totum tempus  
consumamus atque ineptis con-  
scribitionibus Auditores assue-  
faciamus, qui deinde satis habent,  
dictata excepisse, etsi memoria nil  
teneat, ingenium nil capiat, judi-  
cium nil digerat, atque nullam in-  
scientiis soliditatem sed desulto-  
riam

H

riam



riam saltem rerum scientiam nanciscuntur, ut denique magnâ & inutili & confusâ prolixitate iisdem tædium creemus. Jam & hoc vitium, hic defectus in Universitatibus literariis observatur, quod nulla Bibliotheca publica studiosorum, qui libros ipsi sibi comparare non possunt, usibus patet, cùm tamen plurimæ sint scientiæ, ubi sine fontibus, sine libris iisque pretiosioribus nil efficere possumus. Taceo, in Academiis societates istas literarias longè rarissimas esse, ubi in unum eruditiores conveniunt, qui de novis literariis, de novis libris, qui prodeunt, de novis  
in-



inventis secum invicem conferunt  
 & unus ex ore alterius, rem dirigen-  
 te Professore docto, proficit. Haud  
 dici potest, quantum incremen-  
 tum ex ejusmodi exercitiis literariis  
 studia capiant. Nonne melius foret,  
 ejusmodi quasdam societates con-  
 stituere, quàm comestationibus,  
 quàm clamoribus, quàm cantatiun-  
 culis academicis, quàm tumultibus  
 nocturnis, quàm commercio, quod  
 sexui sequiori, qui moribus acade-  
 micorum prodigalitatem, lasciviã  
 aliasque pestes adfundit, perperam  
 consecrari videas, indulgere & tem-  
 pus sic cum conscientia interfice-  
 re? Ast quid opus est, quid opus est,  
 H 2 vul-



vulnera ista academica, quæ cuivis  
 fatis patent, & quorum foetor ubi-  
 que fatis superque penetrat & gra-  
 vis nimis est, quàm ut ignorari pos-  
 sit, quid opus est, inquam, vulnera  
 ista academica tantopere diducere  
 atque eviscerare? Paremus vel  
 tandem, agedum, medelam malo,  
 & quæ prolixâ dictione efferri po-  
 tuissent, paucis multa dicamus.

Et verò, si emendandæ Uni-  
 versitates scholasticæ sint, si sanan-  
 da ista vulnera, si pædantismus li-  
 terarius ex iis eliminandus, ii Pro-  
 fessores ubique constituendi sunt,  
 quorum ingenium, eruditio, fama  
 virtutesque plurimùm excellent.

Scilicet



Scilicet cui vis sano rerum æstima-  
 tori id satis superque patet, Uni-  
 versitates tùm demùm florere, ubi  
 Doctoribus, non quidem multis  
 (multitudine enim hominum eo-  
 rumque jejunorum & qui ad do-  
 cendum jam provolant, ubi disce-  
 re adhuc debebant, officii dignitas,  
 credo, vilescit,) sed egregiis sed  
 præstantissimis florent & abun-  
 dant. Hos verò primùm ingenii  
 excellentissimi dotes ornare de-  
 bent iudicii que magna penetra-  
 tio, quæ per difficilia & ardua faci-  
 lem sibi viam ad veritatis lucem  
 parat. Succedere debet eruditio-  
 nis mira quædam foecunditas, le-  
 ctio-

H 3

ctio-



ctionis vasta copia, historiæ literariæ abundantissima cognitio, industria & diligentia insignis, notitiæ magna soliditas, in docendo mira fidelitas dexteritasque, dictionisque & eloquii perspicuitas, facilitas, suavitas, amœnitas brevitatsque. Hæ virtutes si in Doctore conjunctæ reperiantur, omnium profectò calculum atque adplausum is illicò merebitur. Accedere tamen debet adhuc & conversationis ratio à pædantismo & ambitione academicâ aliena & ad genus vivendi nobilium & venustius inflexa. Quæ ubi in Doctore Academico in unum fusa conspiciuntur.



ciuntur, incomparabilem & planè  
 egregium Virum efficiunt, qui  
 eruditione, qui virtute suâ alios  
 plurimùm ædificare valet. Jam  
 verò, ut ejusmodi Doctoribus Uni-  
 versitates gaudeant, nec nepotis-  
 mi, nec familiæ, nec pecuniæ, nec  
 Patronorum, nec uxoris, quam  
 in torum quis heic adsciverit, sed  
 ingenii, sed eruditionis, sed vir-  
 tutis, sed meritorum beneficio res  
 agenda est, etsi subinde contin-  
 gere soleat, ut, qui has vias, quas  
 ingenia nobiliora utique respu-  
 unt, inquit, & eruditionis ingeniique  
 haud vanâ gloriâ conspicuus sit.  
 Id verò miserrimum est oppido-  
 que deplorandum, si homines  
 jeju-



jejuni, qui beneficio fortunæ florent, subsellia Doctorum occupent, si & academici omnes persuasi sint, eos, nisi fortuna ipsis ista faveret, nunquam ad istud promotionis genus perventuros fuisse. Mallem sanè egomet hodiè spartam deserere, quàm mihi malè hic consciùm esse & nosse, quod mala & perversa via ad cathedram hanc, nonnisi præstantissimis ingeniis destinatam, me duxerit. Nec tamen ea mens nostra est, dignitatem Doctorum non nisi ad eos pertinere, qui incomparabili atque excellentissimâ eruditione polent. Novimus, novimus, *Academici,*  
con-



contraria juxta se posita magis elucescere. In imagine, quam pictor effingit, si nil nisi lux, nullâ umbrâ additâ, adpareat, nulla proportio, nulla forma, nulla amœnitas est. Et Leibnitianum\* quoque mundi perfectissimi systema imperfectio- nibus suis iisque necessariis, utpo- te sine quibus perfectio ejus nulla esset, distinguitur. Itaque & in do- ctorum ordine ut luci umbra, ut viris præstantissimis homines jeju- ni subinde rerumque ignari ad- dantur, humanarum rerum im- perfectio poscit. Ast ubi planê nul- la lux, ubi non nisi umbræ & spe- ctra

\* Vide librum illum LEIBNITII, quem Gallicâ linguâ scri- psit ediditque ita insignitum: *Essais de Theodicée.*



Ætra & Fauni & Satyri & Lemures  
 subsellia ista superiora occupant,  
 ibi utique miserrimam faciem Uni-  
 versitas quædam ut induat, neces-  
 se est. Saltem in unaquaque scholâ  
 Academicâ, si florere ea, si bene  
 constituta esse velit, inveniri de-  
 bent Doctores aliquot famigeri  
 atque eruditione celebres, qui lin-  
 guâ præstantiore, qui scriptis egre-  
 giis nomen sibi conciliaverint, qui  
 adplausu haud vulgari gaudeant,  
 qui sine partium, sine avitarum  
 opinionum defendendarum stu-  
 dio veritatem licet novam, licet &  
 odium ea pariat, promptè eloquan-  
 tur, qui non ad præjudicia docto-  
 rum



rum domesticorum \* sed ad sanioris iudicii scita auditores ablegent, qui novam scientiis lucem adfundant, atque eruditionis præstantissimæ copiâ dictionisque amœnitate & suavitate omnia diluant, masculisque nullumq; pulverem academicum sapientibus moribus sed nobilitate quâdam & venustate totis perfusis \*\* splendeant. Hi  
 I 2 certè

\* Nota bene, nos *præjudicia* hîc non in sensu iuridico, quo ea sententias Judicum vel Facultatum de his vel illis casibus indigent, sed in sensu philosophico sumere, quo *præjudicia* errores significant ex præcipitantiâ & imbecillitate iudicii ignorantiaque vel autoritate, quâ homines antiquos cœci & ridiculi veneramur, nobis subnatos. Hæc monenda sunt propter eos, qui miro errore existimant, nos, quid *præjudicia* Juridica sint, ignorare.

\*\* Et verò Professore eruditumque inter alia vel maximè quoque modestia, humanitas humilitasque commendat. Tædium mihi heic creant riculi illi academici, ex ambitione hominum oriundi, ubi summe Reverendorum, ve-



certè studiosorum & animos scientiâ præstantissimâ imbuent & conversationem moresque egregiè inflectent & emendabunt. Sed abesse, abesse heic omninò debent malæ pestes illæ, quas jam in fugam & exilium egimus, ambitio & avaritia. Jam enim

*nubila mens est  
vincæque frenis,  
hæc ubi regnant.*

Imò, *hæc ubi regnant*, nihil sani unquam in Universitatibus literariis  
ex-

nerabilium, dignissimorum, amplissimorum, excellentissimorum, gravissimorum, clarissimorum nomina iis sæpius tribuuntur, qui istis indignissimi sunt, ubi & eadem ex opere operato & ex consuetudine ingeminantur. Ad prædantissimum academicum hoc pertinere quis videt. Sed vanitati quoque huic sapientiores licet inviti subiecti sunt,



expectari poterit. Laudo, laudo egomet atque in coelum evaho illas Universitates, quæ ita constitutæ sunt & comparatæ, ut ambitio, ut avaritia locum in iis invenire ferè haud possit, ut & studiosis omnis dematur peccandi & evagandi occasio. Tales sunt Universitates Anglicanæ, quas antehos duodecim annos frequentavimus & quarum memoriam sine quodam animi nostri tripudio in mentem relabi nostram non patimur. Heic, qui literis, qui studiis vacant, non per ædes urbis dispersi sunt, ubi pro lubitu conversatio institui moresque inflecti



eti possunt, sed tota Universitas  
in Collegia dispescitur, qualia  
Oxonium undeviginti, Can-  
tabrigia duodecim, si compu-  
tum rectè posuerimus, numerat.  
Quicumque ergò heic civium A-  
cademicorum albo nomen dat, is  
Collegio cuidam ut se adscribat,  
necessum habet, ubi omnes, quot-  
quot heic versantur, certis sub  
legibus, certâ sub disciplinâ stant,  
peculiari veste, cui ad præcaven-  
das pugnas gladius haud adjacet,  
ornati incedunt, cottidiè ad preces  
in sacello fundendas, horamque  
canonicam frequentandam obstri-  
cti sunt, & unico saltem Præ-  
fecto



fecto ( multi enim coqui pul-  
 mentum nimio sale respergunt, )  
 unico saltem, inquam, Præfecto,  
 qui frena in manibus tenet, & ab-  
 solutam rejiciendi refractarios ho-  
 mines & è Collegio relegandi po-  
 testatem habet, parent. Nec pro-  
 fectò saltem ingenia, naturâ ad  
 obedientiam præstandam mores-  
 que gerendos facta sed & Proce-  
 rum Magnatumque Filii in his Col-  
 legiis educantur & versantur &  
 disciplinæ huic lubentes sese sub-  
 jiciunt moresque suos in omne  
 modestiæ & venustatis genus  
 heic fingunt. Nullos heic tu-  
 multus nocturnos audias, nul-  
 los



los homines ebrios videas, jejunos & rusticos moribusque malis laborantes rideri ab omnibus & floccipendi conspicias, ubique modestiam civilitatemque regnare & utramque facere paginam lætus observes. Qui Professorum hic munere gaudent, præcipuas partes in Universitate haud tenent. Præfecti enim Collegiorum omnia moderantur, ex quibus, qui Vice-Cancellarius est, frena tenet omniaque dirigit. Professores ibi socii Collegiorum sunt, coelibes\*  
illi

\* Quæ de cœlibatu academico nobis sententia stet & dudum & nuper quoque in introductione ad historiam Theologiæ literariam p. 380. satis ediximus, ubi in hæc verba, notatu digna, imò aurea illa, prorupimus: *Quæ enim calibatus literarii sit dulcedo, sapiens quisque capit.* Et sanè nec ingenio flos suus, nec ori & calamo libertas, nec animo dexteritas sua



illi, nullo familiæ, nullo sexus sequi-  
 oris, qui, ubi malâ indole laborat,  
 linguâ & conversatione liberio-  
 re mentes Academicorum miserè  
 subinde corrumpit & vastat sa-  
 niemque suam & virus passim spar-  
 git, firmate superbientes eoque  
 magis idonei, qui in publicum  
 egregium sine ullo numorum  
 corradendorum pruritu eruditio-  
 nem suam effundant. Jam & heic  
 elegantiores literæ missis in exili-  
 um philosophiæ scholasticæ quis-  
 quiliis, florent. Quàm verò vel-  
 lemus

constare facillè potest, ubi in conjugales curas, ubi in cu-  
 ras familiæ solliciti diffundimur, ubi & mulieri, quid heic  
 & nunc factu opus sit, in aures nobis insusurranti morem  
 pro redimendâ vexâ gerimus. Jam enim exceptionibus,  
 quæ tamen utique dantur, ubi generosior mens præcordia  
 hominum agitat, hæc observatio haud subruitur.



lemus nos, ut in eandem formam  
fusæ Germanorum societates lite-  
rariæ essent. Et verò facile foret,  
Eberhardinæ huic eandem for-  
mam, eandem faciem induere,  
ubi varia quoque Collegia habemus,  
ex quibus tota ferè Universi-  
tas jam componitur. Ita præter  
Collegium Illustre & nobilius,  
quod suas sibi res habet propriâ-  
que jurisdictione floret, cujus tu,  
*Vir Per-Illustris ac Generosissime*, Ephorum  
jam agis, exstat heic Stipendium  
Theologicum, in quo tot Theo-  
logiæ Studiosi munificentia Sere-  
nissimi Principis nostri nutriuntur,  
ita habemus & Contubernium  
five



sive Bursam, quam vocant, habemus & Stipendium Martinianum, cujus hodiè Superintendentem me, *Patres Academici*, elegistis, habemus denique Stipendium Hochmannianum, habuimus & Burkhardianam domum, quæ omnia sapientissimâ majorum nostrorum curâ ita constituta fuere. Ita & Romanensium Universitates ex Collegiis compositæ erant. Romanam abi, Lutetiam Parisiorum abi, videbis Collegia florentissima magnamque illorum segetem, videbis Lutetiæ domum Sorbonicam, domum Navarricam, Collegium Mazarinianum sive quatuor



tuor nationum, Collegia alia & feminaria, quæ heic recensere instituti nostri non est. Sic verò melius mores Studiosorum fingi & disciplina servari & modestia mentibus hominum infundi potest, qui in immanem aliàs licentiam morum subinde & rufficitatem horrendam, quam libertatem academicam esse putant, effunduntur. Jam, quod studiorum Academico-  
rum meliorem directionem inflexionemque spectat, optârim, ut lectiones & collegia necessaria inutilibus & minus necessariis semper præponerentur, ut iis, quæ necessaria sunt, gens academica haud destitueretur, ut Professo-

res



res lectiones ita inter se dispesce-  
rent, ut certo tempore Studiosi  
cursum studiorum inchoare & per-  
ficere possent, ut magna assidui-  
tas & industria rebus hic adspere-  
retur, ut in Collegiis profectus au-  
ditorum per examina, per disputa-  
tiones & colloquia academica  
tentarentur, ut ordo studiorum  
privatorum cuique à Professore  
præscriberetur, ut & dictationibus  
Academici haud fatigarentur &  
fallerentur, sed eæ in certum Audi-  
torum usum inflecterentur. Apud  
Theologiæ Studiosos præter Colle-  
gia exegetica, totam sacram Scri-  
pturam enucleantia & præter alia  
collegia per omnes Theologiæ  
K 3 partes



partes euntia vel maximè quoque collegia practica & ascetica & pastoralia necessaria sunt, in quibus subinde & ipsi, ut ad explicanda dogmata sacra praxinque pietatis commendandam adhibeantur, ut ad sermones ecclesiasticos habendos catechesinque rectè instituentiam manu ducantur, convenit. Apud JureConsultos collegia practica, quibus in rem præsentem Auditores ducantur causasque dicere & tùm linguâ tùm scripto proponere discant, haud contemnenda esse existimaverim. Taceo, in Academiis Secretarios quoque formandos stylumque, qui in au-  
lis



lis Principum, qui in Curiis adhi-  
 betur, peculiaribus in Collegiis  
 addiscendum esse, ne ubi ad Cu-  
 rias Juris Licentiati promoventur,  
 à Scribis subinde necessaria de-  
 mum discere maximo suo cum ru-  
 bore necessum habeant, onerique  
 Confiliariis sint. Cùm etiam, quod  
 Theologiam spectat, quod & cæ-  
 teras scientias concernit, homines  
 rigidi, qui libertati literariæ in-  
 festi sunt, omnia perdant & va-  
 stent, sapientes utique heic optant,  
 ut inepti hæretifices, ut morosi  
 Censores, ut jejuna illa gens ho-  
 mines ingenuos in veritatis, eru-  
 ditionis & libertatis suæ circulis  
 haud



haud turbet. Ex quo & id conspicere est, quàm necessarium hoc Universitatibus, si flos quidam ipsis adfundi debeat, sit, ut suas sibi res habere jussis hominibus polemicis, eristicis & rixosis, in locum ipsorum irenici, moderati & modesti sufficiantur, & vel maximè Theologiæ illa pars, quæ controversias de religione evolvit & enarrat, ita tractetur, ut animis veritatem & pacem infundamus atque ab omni acerbo affectu eosdem præservemus. Denique, cum pædantismus academicus vel maximè quoque ex cærimoniiis quibusdam, quæ risum ferè movent

&



& ex Papatu originem trahunt  
 inutilesque sunt & tamen adhuc  
 obtinent, elucescat, & heic emen-  
 datio necessaria est resque aliter,  
 cæteris paribus, à sapientibus in-  
 flectenda, qui & subinde, ubi pos-  
 sunt, medelam malo adferunt.  
 Ita in disputationibus publicis je-  
 juna illa proœmia jejunasque gra-  
 tiarum actiones, ubi discipuli Pro-  
 fessores suos magnis laudibus or-  
 nare solent, quod insulsum auditu  
 est, aliaque ineptiora subindè  
 addunt, abrogavimus, & succe-  
 dentes heic nobis egregios & præ-  
 stantes Viros non sine gaudio  
 quodam nostro jam observavi-  
 mus.

L

mus.



mus. Certè semper tædium nobis quoddam succrescit, ubi opposentes ejusmodi jejuna ex schedâ prælegentes conspiciamus. Quin & carmina illa academica, ubi jejunæ laudes & inepta encomia, invitâ Minervâ frigidâque oratione cumulantur, prorsus proscribenda esse putaverim. Jam & quod supra dicere negleximus, abrogandus is quoque academicorum mos pædanticus est, ubi nonnisi certis loquendi formulis, ubi jejunæ illi causarum methodo, quæ nescio quas cupedias & Viris aliâs haud insipientibus secum vehere videtur, ubi certis iisque sub-

inde



inde difficilioribus & tædiosis li-  
bris explicandis mordicus affixi  
sumus, & verbis Autorum, maxi-  
mè definitionibus memoriæ anxie  
mandandis discipulos nostros ad-  
suefacimus. Et quis quæso, omnia  
eruditorum vitia ad pædantif-  
mum spectantia brevi oratione  
enumeret? De moribus acade-  
micorum id unicum adhuc no-  
tandum est, tum demum felices  
fore Academias, si statutis publicis,  
quæ vel maximè in hac nostrâ  
Universitate longè præstantissima  
sunt, cum cura inhæreatur nullus-  
que personarum respectus hic lo-  
cum habeat. Et verò facile co-

L 2

gitare



gitare possum, *Auditores præstantissimi*,  
 quid vobis jam in mentem labatur,  
 ubi tot egregia, tot præstantia in unum à me fusa auribus  
 vestris excipitis. Scilicet ita vobiscum  
 sine dubio ratiocinamini, suavia hæc,  
 quæ nobis jam formemus, somnia esse,  
 nos Rempublicam *Platonicam & Sevarambicam*  
 hic effingere, quæ dari in hæc temporum  
 peste usque ad consummationem seculi non  
 possit. Nec est, quod existimemus, vos  
 ex toto hallucinari heic & errare,  
 quicumque hoc ipsum ita animis vestris  
 volvitis. Militat quippe semper in rebus  
 humanis



manis imperfectio , nec ad consummatam absolutamque felicitatem perduci instituta academica unquam possunt. Multa tamen emendari , multa corrigi , multa in melius verti , Academiis in corruptione & miseriâ & tenebris cubantibus animamque agentibus lucem & florem adfundi per cordatos & præstantes Viros , qui famâ , qui eruditione , qui prudentiâ , qui experienciâ haud vulgari , quæ non semper ex annis & ex senio , sed ex magno rerum usu , quem præstantioribus subinde ingeniis nancisci contingit,

L 3



git, æstimanda est, qui magnâ elo-  
 quii vi pollent, lucem, inquam,  
 Academiis majorem & præstan-  
 tiorem affundi resque si non in to-  
 tum, tamen in tantum restituui pos-  
 se, quis est sapientum, qui dubitet?  
 BEATAM VERO EBERHARDINAM HANC,  
 quæ tot eruditis, quæ tot præstan-  
 tibus Viris, ( præfiscini dixerim, ne  
 sorores ipsi succenseant, ) in omni-  
 bus Facultatibus floret, beatum &  
 me, cui Virorum celeberrimorum  
 atque doctissimorum fyrma post  
 se trahere tanquam Rectori & Can-  
 cellario hodie contingit. Vestram  
 nunc sub finem ( hæc enim cura-  
 rum mearum præcipua est, ) ve-  
 stram



stram, inquam, benevolentiam  
 sub finem nunc aucupor & capto,  
*Collegæ Præstantissimi, Senatores Amplissimi,* qui  
 de vestro favore & amore dudum  
 tot egregiis documentis persuasus  
 fui, vestra in oscula, vestros in  
 amplexus novus egomet Cancel-  
 larius nunc ruo & de meo in vos  
 affectu, quo eruditionem, quo  
 merita vestra præstantissima to-  
 tus exosculor, quo rebus ve-  
 stris, quo Eberhardinæ huic  
 tam benè cupio, certissimos vos  
 esse jubeo. Salvete jam, sal-  
 vete, *Patres Academia hujus conscripti,* &  
 mihi novâ hâc dignitate ornato  
 plurimum favete & ad splendorem  
 scholæ



scholæ hujus diu per vos adhuc  
conservandum res vestras semper  
prosperè agite., atque incolumi  
mente, incolumi valetudine diu  
diuque adhuc vigete, florete,  
gaudete. Paucis, uti audivistis,  
multa dixi & ex sincero ædifica-  
tionisque publicæ cupidissimo pe-  
ctore, omni formidine procul esse  
jussâ, emanare sivi, quæcunque  
utilia mihi esse adque res præsen-  
tes emendandas spectare videban-  
tur. Vos sine ullo dubio consilia  
ista tam utilia & tam bona vestris  
quoque suffragiis vestrâque ap-  
probatione adpersâ, dexteritate  
quoque vestrâ & egregii publici  
pro-



promovendi ardore, vestris & exemplis, id quod sanè rebus maximum pondus addet, juvabitis atq; ornabitis. Ita verò vos DEUS benè amet & amplissimam laboribus vestris benedictionem adspergat, ita & civitatem hanc & societatem literariam amplificet plurimum atque adaugeat idem omnis boni fons & sator statorque, ut pietas, ut eruditio, ut literæ, ut res nostræ publicæ & privatæ perpetim hic floreat nullaque ipsis eclipsis unquam suboriatur.

Imò verò sub finem orationis meæ denuò coram TE genua cordis mei flecto, DEUS BENIGNISSIME!

M

SIME!



SIME! Tu, qui solus salus nostra es,  
 qui solus benedictione omnigenâ  
 beare nos potes, fac quæso, ut  
 schola hæc tuo munere floreat  
 semper, ut pietas vel tandem heic  
 regnare incipiat, ut eruditionis  
 modestiæque & virtutis flos præ-  
 cipuus in hisce palatiis nostris suc-  
 crescat, ut literarum honos apud  
 nos adaugeatur, ut res publicæ  
 & privatæ stent, & ut vel maxi-  
 mè nomen Tuum eâ, quâ decet,  
 veneratione & pietate, eâ, quâ de-  
 cet, sanctiore mentium inflexione  
 & conversione apud nos colatur,  
 ut impietas sub jugum missa hu-  
 mi repat, ut disciplina acade-  
 mica



mica efflorescat, ut pessum ignorantia & error omnis detur, ut præjudicia quævis prava in exilium agantur, ut tuis sic laudibus dein omnia personent. Serva, **CLEMENTISSIME DEUS**, serva Serenissimum Nutritium nostrum, & res omnes, maximè publicæ ut prosperè ipsi & ex voto succedant, jube, valetudinemque ejus semper salvam & inconcussam subditosque sub eodem longè felicissimos præsta. Serva, serva quoque Serenissimum Principem Hæredem cum Augustâ ipsius Conjuge & pro tuâ, quâ nos indignos complecteris,

M 2

mi-



misericordiâ largire, ut suâ sem-  
 per successione, suo semper flo-  
 re Domus Wirtembergica gau-  
 deat & perennet. Denique &  
 Patres Academiae hujus conscri-  
 ptos pubemque hanc academi-  
 cam benedictionis & gratiæ tuæ  
 omnigenæ copiâ affatim & semper  
 bea, & fac, ut scientiâ, pietate,  
 modestiâ & virtute omni, ut præ-  
 stantissimis Viris, ut famâ insigni,  
 ut dote semper amplâ & suffici-  
 ente, imò abundante, ut civibus  
 multis & egregiis, ut felicitate  
 omnigenâ societas hæc literaria  
 splendeat, floreat, augeatur  
 & crescat, per Dominum no-  
 strum



strum JESUM Christum, cum  
quo Tibi gloria, honor & im-  
perium, in omne ævum.  
Amen!

ΕΠΙΜΕΤΡΟΝ.

Quod restat, *Lector benevole*, ubi jam orationem hanc attento animo volvis revolvisque, noli quæso credere, nos hos vel illos homines, qui vitiis, quæ reprehendimus, toti involuti sunt, & manes istos patiuntur, atro heic carbone notare voluisse. Ita verò, ais, crabrones irritantur, ita cicada, quam alâ comprehenderis, tumultu & sonitu, quem ciet, majore eò molestior evadet. Non, ita porrò addis, animi sic emendantur, sed exacerbantur, sed ad vindictam sollicitantur, sed in vitiis suis servandis augendisque pertinaciam sibi induunt, ne peccati reos sese, ubi emendationem admittunt, faciant, sic denique iidem omnibus tuis, etiam præstantissimis institutis semper adversabuntur. Et rectè se omninò habet, (sic vel tandem objectiones tuas finis,) illud Poetæ:

*Curando quadam fieri majora videmus  
Vulnera, quæ melius non tetigisse fuit.*

M 3

Sed



Sed non est, non est, *mi Lector*, quod hæc cogitata jam mentem tuam obambulent. Nulla, crede mihi, vana gloriola, quam reprehensionibus istis vividioribus captare quis possët, nullus affectuum, quod jam in præfatione diximus, æstus, nullus homines traducendi pruritus mentem nostram hîc agitavit. Quæ diximus, satyrico omni sale seposito, utpote qui gustui nostro non arridet, eo candore, eo boni publici promovendi ardore, eâ gravitate diximus, quæ Theologum decet. Nulla heic individua, ubi vitia Universitatum scholasticarum exposuimus & taxavimus, menti nostræ præsentia fuere, in campum abstractionum metaphysicarum secessimus, ubi orationem hanc literis mandavimus, & cum omnes ferè, quæ in Germaniâ, Daniâ, Belgio & Angliâ sunt, Universitates pererraverimus & frequentaverimus, eoque sine frequentaverimus, ut, quæ recta & solida docendi gentemque academicam gubernandi methodus sit, disceremus, omnia ista vitia, quæ ubivis conspeximus, in unum hîc fudimus, & quæ rebus medela adhiberi possit, absque ullo timore [ veritas enim non timet, & qui rectè facit, cur timeat, causam non habet, ] absque ullo, inquam, timore heic diximus &, applaudentibus bonis omnibus, candi-




candidissimè edisseruimus & nativum rebus colo-  
 rem, fūco omni seposito, ubique adpersimus. Non  
 est itaque, quòd illud nobis amplius obvertatur:  
 VERITAS ODIUM PARIT. Odium profectò  
 hominum malè sapientium os nobis non obtura-  
 bit,\* Ita quippe rei secum fert natura, ut veritas  
 & virtus ab errore & vitio odio haberi amet nec  
 impeti non possit. Qui verò sapiunt & noxæ ta-  
 men conscientia mordentur, in pace & silentio  
 se corrigent gratiasque tam bono monitori, qui  
 egregium ipforum quærit, profectò amplas agent.\*\*  
 O verò beatas mentes & terque quaterque bea-  
 tas, quæ pædantissimi, quæ vitiorum, quæ affe-  
 ctuum malorum à vinculis liberari se & in liber-  
 tatem illam, quam veritas, quam virtus, quam  
 eruditio solida & mascula nobis asserit, duci se pa-  
 tiuntur. Sed erunt, erunt sanè, [ major enim pars in  
 hâc rerum imperfectione semper desipere pergit, ]  
 erunt sanè, qui & his monitis emendari se virtu-  
 temque & nobilitatem animi adpersi & adfundi  
 sibi

\* Vide Ps. XL. 10. & evolve, si placet, Psalmistæ dictum.

\*\* Vide Psalm. CXXI. 5. ubi verba juxta Hebraicam veritatem ita cur-  
 runt: *Percutiat me mallo justus, beneficii loco id habeo, & in-  
 arepet me, hoc erit oleum capitis, sive præstantissimum, quo demul-  
 ceri caput meum possit.* Ita sanè Psalmista.





sibi patientur, atque in amplexus nostros, in oscula  
 nostra heic prorsus ruent. Et verò sufficiens menti  
 nostra gaudium allabetur, si unicam saltem *ovem*  
*perditam ex domo Israël*is heic lucrati fueri-  
 mus! Jam autem, si, quæ heic dedimus, Viris il-  
 lustribus haud displiceant & à cordatis sapienti-  
 busque [quod planè confidimus fore] approbentur,  
 vel si, qui vitiiis heic depictis constringi se sentiunt,  
 contra hiscere & obmurmurare aut etiam hæc ipsa  
 rodere audeant, ea, quæ diximus, facillè didu-  
 ci à nobis & suppleri & augeri  
 poterunt.





2117  
APPENDIX,

SIVE

ORATIO,

QUA

*SPECTATISSIMO FACULTATIS THEO-  
LOGICÆ DECANO,*

D O M I N O

GOTTFRIDO HOFFMANNO,  
THEOLOGO UNIVERSITATIS NOSTRÆ  
PLANE INSIGNI

*DIE NUPERO SECUNDO SEPTEMBRIS*

*VENIAM FACULTATEMQUE DEDIMUS,*

*UIRUM DIGNISSIMUM,*

D O M I N U M

JOANNEM RUDOLPHUM  
OSIANDRUM,

EJUSDEM FACULTATIS NOSTRÆ THEO-  
LOGUM, IN DOCTOREM THEOLOGICÆ  
CREANDI.



APPENDIX  
DIE SUPERIORI SECONDO SECTORE  
VIRIAM FACULTATEM DEBENT  
D. O. M. I. N. O.  
GOTTFRID HOFFMANN  
THEOLOGO UNIVERSITATIS  
JOHANNEM RUDOLPHUM  
OSAZIUM  
PRESIDENTI FACULTATIS THEOLOGICAE  
MAGISTRO D. O. M. I. N. O.  
CRENDI







Venerandæ Facultatis nostræ  
**Speçtatissime Domine Decane,**  
 Auditores honoratissimi,  
 tuque vel maximè,  
 qui jamjam præsentem te mihi sistis,  
**dignissime Domine Doctorande,**



Ui ad licentiam in actu hoc solenni concedendam veniamque dandam, ut ad creationem doctoralem progressus fieri possit, jam me duplici munere & Rectoratûs & Cancellariatûs Academiçi ornatum accingo, dum, quinam ante hoc centum annos dignitatibus istis fulserint Viri præstantissimi, in annalibus nostris academicis evolvere, excellentissimos planè celeberrimosque Theologos invenio, qui eo tempore Spartas hæc duas plurimùm ornare magnamque meritum & eruditionis laudem ad posteros transmissere. Et verò, qui eo anno, puto autem annum seculi præteriti vigesimum, fasces tenuit academicos, **THEODORUS THUMMIUS** fuit, ac quantum & quàm venerabile nomen! cui parem ingenio, acumine, eruditione, diligentia, dexteritate & famâ Theologum vix Universitas hæc scholastica conspexit. Nescio  
 N 2 autem



autem, qui fiat, ut, ubi vitam THUMMI resque ipsius gestas in memoriam meam relabi jam patior, insignem quendam parallelismum inter ipsius & mea fata conspiciere mihi detur. Natus est THUMMIUS anno seculi decimi sexti octogesimo sexto sub finem. Ego met prioris seculi eodem anno ipsa nocte concubiâ nativitatibus Domini primam lucem adspexi. THUMMIUS anno ætatis decimo sexto secundam Philosophiæ lauream adeptus est. Ego met paulò citius honoribus illis initiatus fui. THUMMIUS Præceptoratui primùm gerendo operam adfurusus erat, antequam ad altiora professionemque Academicam scanderet. Ego met itidem informationi, sed quæ majoris momenti & altioris paulò indaginis existit, informationi nempe Serenissimi nostri Principis Hæredis, cui Deus benè velit! studia mea consecravi. THUMMIUS anno prioris seculi decimo octavo Theologiæ Professor & Doctor evasit. Ego met hoc seculo, quod agimus, anno citius, illo Reformationis Jubilæo dignitatem utramque adfundi mihi passus sum. THUMMIUS anno præteriti seculi vigesimo fascibus academicis primùm gavifus fuit. Ego met redeunte in orbem seculo eundem magistratum primâ sed & unicâ vice gero. THUMMIUS brevi tempore tot dissertationes academicas, tot libros in lucem protruxit, ut vix concipi potuerit, qui tam paucis annis tot fetus, tot partus concipere & eniti valuerit, magnamque sibi mox ab initio professionis suæ famam ubique conciliavit. Ego met, licet infantia quidem meæ probè mihi conscius sim ne tam pulchris unquam passibus tantum Virum adsequi valeam, vestigia tamen ipsius & in hoc industriæ studiorumque genere promptè satis pro viribus lego & calco atque forsân & transcendo. Hæc omnia, in unum si fundantur, dicere quis, qui *μετεμψύχωσιν* Pythagoræam vel Platoniam, quæ verò nulla est, crederet, posset, vel spiritum THEODORI THUMMI in modernum Cancellarium transiisse, vel me saltem in Spiritu THUMMI venisse eoque



eoque totum involutum atque animatum incedere. Et sanè, cum ante hoc triennium primùm Senaculum academicum, cuius cœlum pictis Professorum imaginibus totum ornatum est, ingrederer locumque à Magnifico Domino Rectore inter Senatores mihi assignatum occuparem, atque à beato Parente meo, ( at quàm triste, quàm verò & aureum hoc mihi nomen est, cuius vix sine lachrymis recordor, & quod ante hunc annum adhuc auditorium hoc suâ luce collustravit, ) atque, inquam, à beato Parente meo, cuius lateri adjunctus eram, quærerem, quanam Professoris imago capiti meo perpendiculariter immineret, non sine quodam omine THEODORI THUMMI imaginem eam esse respondit, qui, ita inquietabat ille, eodem ferè ætatis, eodem ferè & seculi anno, ac ego met, ad Professionem Theologiæ ordinariam pervenerit, cuius sanè vestigia jam calcare virtutesque adsequi pulchrum mihi futurum sit. Jam verò nescio, num &, quæ ultima THUMMI fata fuere, cum meis similitudinem quandam natura sint. THUMMIUS præfervidi erat ingenii Vir & ignei, assiduus in laboribus horas diei per totidem ferè lectiones & collegia distinguebat & in longam noctem sedens libris scribendis inhiabat summoque mane idem ad negotium revertebatur. Factum hinc, ut ante diem valetudinem corrumperet & perderet viresque corporis frangeret & enervaret atque cachexiam sibi, quæ per calamitates, quas ob causam Dei religionemque perpessus est, aucta quoque fuit, attraheret, annoque ætatis quadragésimo quarto diem supremum maximo cum Universitatis huius scholasticæ luctu, quæ tanto quippe fidere tum orbabatur, oratione funebri mortem ejus honestante *Lucâ Osandro*, Cancellario, obiret. Egomet, si & citius hoc corpusculum meum diffluat, votorum meorum partem quandam præcipuam tùm maximo meo cum gaudio completam videbo. Dudum est, dudum est, *Academici*, quod mundus hic, qui in malo totus cubat, mihi



mihi sordet. De fortunâ quidem non habeo, quòd jure con-  
 queri possùm. Eâ ætate ad summos in Academiâ hâc honores  
 perveni, quâ vix ullus ad eos ante me pertigit, cum non ferè  
 nisi iis, qui senio confecti sunt vel ad illud citatis gressibus pro-  
 perant, Spartâ hæ, queis fulgeo, tradi aliâs consueverint.  
 Eam sub initium laborum meorum Academicorum famam in  
 Republicâ literariâ (præfiscini dixerim) nactus sum, quæ votorum  
 meorum verecundiam, quæ merita mea transcendit & quam gratâ  
 mente veneror atque exosculor. Eâ Serenissimi Principis gra-  
 tiâ, eâ Magnatum nostrorum benevolentia, eo favore quoque  
 vestro, *Patres Academici*, eo adplausu vestro, *Auditores mei*,  
 quos in sinu & in pectore meo gero, floreo, ut nihil sit, quod  
 heic desideria mea fallat languoremque pectori meo adfundat.  
 Cætera fortunæ beneficia, ubi is saltem rebus meis sios con-  
 stat, qui mihi sufficit, valetudinemque hanc meam, quæ be-  
 neficio divino reddita mihi est, libertatemque, quâ nullis profus  
 adstrictus vinculis sum & pro ingenuitate animi mei frena affectui  
 meo ad egregium publicum promovendum currenti laxare so-  
 leo, taceo. Quantacunque hæc, queis floreo, fortunæ bo-  
 na sint, non tamen est, quòd in amorem seculi hujus, quod pe-  
 rit, rerumque mundanarum diffundar. *Vanitas vanitatum*,  
 ita ex æternæ veritatis effato edixit olim regia veteris testamen-  
 ti concionatrix, *vanitas vanitatum & omnia vanitas*, imò &  
 ipsa hæc solemnia doctoralia, quæ jamjam agimus & quæ haud  
 vulgari gaudio jam pectora opplere videmus, ipsa, inquam,  
 hæc solemnia doctoralia, quod pace tuâ, *excellèntissime Domine*  
*Doctore*, dixerim, vanitas sunt. O! si gaudia illa mente  
 meâ revolvam, quæ pectori meo ante triennium ferè subnata  
 subinde fuere, ubi ante portas æternitatis steti & futurâ vitæ  
 bona lætus prægustavi, si, inquam, gaudia illa mea mente  
 meâ revolvam, si, quàm fluxa, quàm caduca, quàm imperfecta,  
 quàm etiam amara homini divinâ mente donato & qui cælum  
 jam



jam possider & gustat, sint hujus mundi bona & quam misera sit hæc vita, quæ tota peccato involuta est & à perfectiore Dei fruitione nos hæcenus abstrahit, considerem, ne unicum quidem vitæ hujus momentum sine cædio ago magnâque cum animi fortitudine, magno cum pectoris mei desiderio beatum illud momentum, beatam horam illam exspecto, quæ futuris deliciis & perennaturæ in cœlis felicitati iisque privilegiis, quæ doctores justitiæ in alterâ vitâ comitabuntur, me olim asseret. Ast ad THUMMIUM, meum illum, regredior, in quo si quid dissimile existit, ubi diversam ab ipso viam mihi inire contigit, id sanè est, quòd, licet summorum iste meritum vir esset, licet florente ætate ad summas dignitates academicas curreret, tamen, morte abreptus, ad Cancellariatûs & præposituræ dignitatem haud pervenit. Jam verò id tamen & miro heic atque peculiari fato accidit, ut, ubi prioris seculi anno vigesimo per mortem MATTHIÆ HAFENREFFERI, Theologi item præstantissimi, Cancellariatus vacuus redditus fuit, eodem hujus seculi anno eadem orbitas, ad superos abeunte JO. WOLFGANGO JEGERO nostro, in gyrum rediret. Quemadmodum autem rebus cassis tum promptè subventum & medela civissima adhibita fuit, suscepto mox in hanc spartam LUCA OSIANDRO, Theologo insigni, ita & nostrâ hæc ætate eadem cura rebus adfusa & cum nulla objicerentur impedimenta nihilque esset, quod obstarer, amplissimum hoc munus illicò mihi concredutum fuit. Ubi verò LUCAM OSIANDRUM, abavi tui, *dignissime Domine Doctorande*, JOHANNIS nempe OSIANDRI, Abbatis olim Adelbergensis fratrem jam nomino, patere, ut ad gentis tuæ præcipua & merita paulisper heic enarranda, quantum instituti mei ratio id fert, excurram. Etenim, quantum quidem mihi constat, nulla ferè est in agro Wirtembergico familia, quæ tot Viris præstantibus iisque omnibus Theologis, quæ & continuâ istâ felicitate per successionem non interruptam



terruptam floruit, ac familia OSIANDRINA floruit. Summa hæc est divina benedictio, quæ domui tuæ, *Reverende Domine Doctorande*, contigit, quam & gratâ erga Deum mente, uti par est, tecum recolis. Etenim *Andreas* ille *Osfander*, qui sub initia Reformationis & Norimbergæ & Regiomonti docuit, cujus & filiam THOMAS CRANMERUS, Archiepiscopus Cantuariensis, cum in Comitibus Norimbergensibus aliquando versaretur, in torum suum adscivit, *Lucam Osandrum*, filium nactus est, qui Concionator Aulicus Stuttgardianus existit & post plurimos alios libros celebratissimum illum in sacram Scripturam commentarium, qui *id est* nuncupatur, epitomenque Historiæ Ecclesiasticæ ex centuriis Magdeburgicis expressam edidit. *Luca* contigere quatuor filii ex duabus uxoribus successivè in torum adoptatis prognati. Ex primo matrimonio prodire *Andreas* ille, quem inter Antecessores meos tanquam Cancellarium & Præpositum numero, porrò *Johannes* idem, quem Abavum tuum, *Doctissime Domine Doctorande*, esse jam dixi, ex altero conjugio nati sunt *Lucas*, & hic Cancellarius & Præpositus, atque *Josephus*, Abbas Blabyrensis. *Johannes* ille, à quo tu lineâ rectâ descendis, filium habuit *Jo. Balthasarem*, Superintendentem Vayhingensem, qui *Jo. Adamum*, Avum tuum eundemque Cancellarium, Theologum celeberrimum atque acutissimum eruditissimumque genuit, qui ante hos ferè viginti tres annos decessit. Est itaque primus ille *Andreas Osfander* tritavus tuus, cujus memoriam tu veneraris, & à quo haud interruptâ Theologorum successione lætus descendis. Et verò quàm beata hæc fors tua est, quòd non saltem iis majoribus flores, qui tot tantisque meritis Ecclesiam, Patriam & Academiam hanc sibi devinxere, sed & eo Parente gaudes, qui reliquos omnes magnis heic passibus superat. Non verò est, quòd jamjam in Viri hujus summi laudes excurram, quas ipsius modestia haud fert. Nemo est, qui merita ipsius, qui virtu-

tes



tes nesciat, nemo est, qui easdem non prorsus exosculatur, nemo est, qui die hoc solemniori vota sua in sinum ejus haud effundat. Tu verò ipsemet, *dignissime Domine Doctorande*, iis beneficiis divinis, quæ largâ manu tibi collata fuere, flores, quæ majora vix expetere potes. Jam enim, ut alia taceamus, præter nativam quandam ingenii tui dexteritatem præstantiamque, quam possides, tibi tam felici esse contigit, ut isto in ætatis tuæ flore, quo majorum tuorum nullus honores hodie adeptus est, cathedram Theologicam ut Professor ordinarius adscenderes mitramque doctoralem mox adsequerere. Macte istâ felicitate tuâ, *Collega optime*, ad augmenta ejus cotidiana, quæ divina tibi providentia adfundet, lætus progredere. Largiatur divinum Numen Magnifico Domino Parenti tuo felicitatem & valetudinem inconcussam, largiatur eandem & tibi teque cum illo *Jo. Adamulo* tuo, quem Deus amet! maximæ spei puello, deliciis illis tuis sospitem salvumque diu diuque servet atque laboribus tuis tum academicis tum ecclesiasticis amplissimam benedictionem adfundat & ad merita majorum tuorum inconcussò pede progredi te & pergere jubeat.

Et sic jam ad rem ipsam, cujus gratiâ longum hoc verborum fyra traxi, vel tandem progredior. Scilicet id jam agendum mihi est, ut ad creationem Doctoralem veniâ illâ & licentiâ, quam Spectatissimus Facultatis Theologicæ Dominus Decanus à me expetiit, viam parem. Nec sanè est, quod, dum ad personam dignissimi Doctorandi animum nostrum & cogitata nostra reflectimus, nos impediât, quò minus prompti jam hoc munere defungamur. Præcessere merita, quibus actui huic solemnii summè Reverendus Dominus Doctorandus prælusit, præcessit examen idque rigorosum, præcessit & dissertatio inauguralis, ubi partes suas masculè idem fortiterque egit, ita, ut post exantlatos tot labores vel tandem præmium quoque & merces ut succedat, congruum sit. Quod itaque jam felix sit & faustum, quod Academiæ huic, quod Facultati nostræ, quod literis sit salu-



salutare, ego CHRISTOPH. MATTHÆUS PFAFF, almæ hujus Eberhardinæ Cancellarius, Tibi, Vir summè Reverende, Dignissime & Excellentissime, Domine GOTTFRIDE HOFFMANNE, S. Theol. Doctor & Professor Ordinarie longè celeberrime, Ecclesiæ Decane & Ill. Stipendii Superattendens Gravissime, Facultatis nostræ Decane atque ad hunc actum legitimè constitute Promotor, Collega Venerande, do tribuoque licentiam, præsentem Dominum JO. RUDOLPHUM OSIANDRUM, Collegam nostrum amantissimum, in Doctorem Theologiæ creandi eumque omnibus privilegiis, immunitatibus & dignitatibus, quæ Doctoris Theologiæ titulum comitantur, ornandi & insigniendi, auctoritate ordinariâ, quâ fungor, publicâ, ab Imperatoribus concessâ & confirmatâ. Quod restat, Tibi, *dignissime Domine Doctorande*, ut honores hi, quos jam adis, felicissimi contingant, ex toto pectore precor. Adsit tibi Deus O. M. & mentem tuam cælesti luce pectusque tuum virtute Spiritus sui largissimâ imbuat, ut luculentissimâ prorsus ædificatione & Ecclesiæ nostræ & Academiæ latifundia inebries, ut spiritali eruditione mens tua largissimè perfundatur, ut sanctimoniâ præstantissimâ & *archæes* verè theologicâ, quæ non in externis hæreat, sed pectus totum vertat, conversatio tua & vita splendeat, ut ardore divino, quo contra errores veritati divinæ adversarios, contra grassantem impietatem vitiaque, quæ Ecclesiam proh dolor! inundârunt & horrendum in modum vastant, pugnes, ut denique, ubi bonum fidei certamen certaveris & stadium, quod veris Theologis currendum est, absolveris, coronâ istâ præstantissimâ, quam futurum seculum donat, caput hoc tuum certissimè ornatur. Beatum verò te atque oppidò beatum, si, qui nunc caduca ista insignia, quæ pereunt, capestes, signaculo divini Spiritus, quo solo veri pietatis Doctores, veri Theologi evadimus, ornatus in lumine, in virtute divinâ, totus ubique splendore hoc cælesti circumfusus, fortis incedas, regnumque Dei magno cum mentis divinitus firmatæ atque in Deo fundatæ robore in te aliisque plurimum ædifices. DIXI.



IN FUGAM VACUL

Jam dum hæc ipsa finiuntur, accurrit typographus rogatque, ut in fugam  
vacui quædam hæc adspergam. Et verò, licet, ut invidiam, quæ ob  
veritatem tam clarè elatam certissimè mihi subnascitur, amoliar, præstantissi-  
mi inter nostros Theologi, JO. VALENTINI ANDREÆ effata plurima in  
rem meam vertere heic possem, qui satyrico quoque sale Academicos vi-  
tiosos perfricuit, nil tamen præstantius, nil, quod mentem meam magis  
exprimat, coronidis loco dare possum iis, quæ THOMAS LANSIUS, Vir  
incomparabilis, Universitatis nostræ olim Vifitator lumenque præstantissimum,  
posuit in laudatione Joannis Harprechtii, Antecessoris in Academiâ Tu-  
bingensî singularis exempli. En flores quosdam, quos decerpimus, qui  
fragrantia suâ atque odore, quem fundunt, & nostro adhuc tempore na-  
res haud obefas demulcere possunt. Ita verò ille in mantissâ consultatio-  
num & orationum, ubi oratio hæc sub finem exstat, p. 771. 772. *In mul-  
tis Universitatibus plerique scholares è tyrocinio, bonis literis vix extre-  
mis digitis atactis, immani saltu ex trivialis pulveris angustis se proje-  
ciunt in vastum Juris Oceanum ac sine terminis mare. Ita, cum ferè sint  
in Grammaticâ pulli, in Poeticâ nulli, in Logicâ asini, in Rhetoricâ  
muli, oves in Musicâ, boves in Arithmeticâ, porci in Ethicis, canes in  
Physicis, bardi in Mathematicis & in cæteris Philosophici Regni partibus  
talpa & in congressibus familiaribus magis muti quàm pisces, audent tamen  
remorari illorû quasi manibus sacra Themidis atrectare, & audent sanctissima-  
rum tor chiliaides legum intempestivâ lectione lacescere; sed vix paucis legibus  
perfunctoriè prælibatis, non paucis tamen Brocardicis è pragmaticorum  
pena devoratis tanquàm desultorii qui ad forum & Rempublicam prostrantur  
no rabulariâ pruriginè canissimâ atque litibus multiplicandis strenue ope-  
rantur. Hæc cum oratione nostrâ p. 31. lqq. conferri velim. At pergit Vir  
illustri p. 778. lqq. Poscebant leges academica & sanctiones Serenissimarum  
Ducum Wirtembergiæ. Item omni exceptione majorem, nempe CLARUM EX  
DOCTRINA APUD EXTERNAS GENTES QUOQUE, ad ornandam  
Spertam Professoriam aptum habilemque ac sic præstantem, ut docendo & in-  
struendo juventutem conciliare sibi, Academia mansurum decus addere &  
lumine novo gloria accenso FREQUENTIAM STUDIOSORUM adducere  
possit. In hac capita juræjurando obligantur Professores, quoties ad electionem  
novi Collegæ accedunt: qui si prudentes vel imprudentes elegerint ineptum, ef-  
fugere non possunt, quin censoria severitatis notam patiantur audiantque (quod  
horribile dictu sit,) vel sulci & asini vel perfidi & fraudulentî. Sulci & asini  
quidem, quòd imprudentiæ labe corrupti, qualem eligere debebant, non po-*



sucrint : homines digni imbibere

*purgantes pectora succos,*

*Quicquid & in tota nascitur Anticyra.*  
Cetera LANSII addere nolumus. Sed conferenda hæc sunt cum iis, quæ p. 63. diximus. Idem LANSIUS p. 785. 786. ita infit: *At verò inastimabilis ipsa Harprechti mentis agitatio atque inextriculus in Professoriâ provinciâ illustrandâ ardor stimulus erit in præsens & FUTURUM Professoribus quibuscunque ad majorem industriam & ad curam cathedre acriorem. Et ignoscite, excellentissimi Professores, si paulisper & per transennam quasi consulam Harprechtianum speculum atque exoblatis imaginibus verecundâ libertate deceppam nonnihil admonitionum. Harprechtius cathedram constanti viva vocis cultu dignatus NUNQUAM, ex quo Professorium in ordinem receptus est, omisit publicam lectionem, NE UNAM QUIDEM. At quousquisque Collegarum æqualem proficere diligentiam poruit? Audebo dicere . . . . . fuisse, qui sæpè longiusculas inducias sibi indulserint: aliis quoque menses plusculos, menses autem? imò & ANNOS cathedre deserta debentibus, UT CATHEDRÆ REPUDIUM QUASI MINITARI VELLE VIDERENTUR.* Hæc ad illustrandam p. 52. 53. pertinent. Addimus vel tandem hæc verba LANSII longè præstantissima, quibus totum pectus nostrum adhinnit: *Quare ab omnibus Professoribus, qui scholaribus in spem Reip. præsumt, huc referenda sunt curæ studiaque omnia, ut disciplina alumni evadant doctissimi, eruditissimi & universis virtutum ornamentis præsignes. Turpe sit, nî exoptent sedulo, quid tantis de se judiciis, tantis titulis & honoribus debeant. Id autem erit hujusmodi: consulere fidei suæ concreditibus adolescentibus; illos ante omnes alias charitates amplecti; cum illis quasi cum filiis vivere & cum iisdem tempus & studia dividere; docere, insinuere, emendare, medelam ad vitia exhibere, providere posteris, privatis commodis publica preponere, meritorum denique magnitudine evincere, ut Parentes patriæ & doctores orbis dici haberi que jure possint. Ingens profectò hæc sit gloria.* Hæc LANSIUS, p. 788. 789. quæ quàm optamus, omnium animis & meritis ut inlicbantur, ut altè infingantur. Plura verò ejusdem adjicere possemus. Sed consulatur ipse, quem laudamus, & degustetur totus.

*Benevole lector,*

Nescio, qui contigerit, ut menda quædam in textum irreperent, quæ omnino correctione opus habent. Age itaque, & sollicitum te heic indultumque præsta, & p. 6. l. 5. pro *ubi lege cum* p. 25. lineâ ultimâ l. hæc p. 36. l. 8. 9. l. certo *annorum* p. 40. l. 3. l. *Audumâ* p. 47. in notâ l. 5. l. *pe. p. 51. quæ ratio sit, cur* p. 55. l. 1. l. *sine* p. 65. l. 15. l. *planè* p. 67. in notâ l. 6. l. *cæci* p. 72. lin. ult. l. *calibus* & in notâ l. *calibatu* p. 75. l. 11. pro *erant* lege sum. ne scalam vultes. Cetera ipse corriges.



1291.39

✓

ULB Halle 3  
003 259 463



Sb.

V07P











CHRISTOPHORI MATTHÆI  
PFAFFII,  
Theol. Doct. & Prof. Ordin. Illustris Stip. Theol. hactenus  
Superattendentis & Ecclesiæ Tubingensis Decani,  
nunc PRÆPOSITI,  
Academiæ Tubingensis hoc ipso tempore  
RECTORIS

ORATIO INAUGURALIS  
*DE*  
UNIVERSITATIBUS  
SCHOLASTICIS  
EMENDANDIS  
*ET*  
PÆDANTISMO LITERARIO  
EX IISDEM ELIMINANDO

*Tubingæ in aulâ Novâ*  
die XII. Augusti hoc ipso æræ Christianæ anno MDCCXX.  
coram Senatu & totâ gente academicâ publicè recitata;  
cùm Professionem Theologiæ primariam  
OFFICIUMQUE CANCELLARII  
solemniter feliciterque Is auspicaretur.

TUBINGÆ,  
litteris SIGMUNDINIS.

